Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 359
Quelle:
Copyright:

dice nostro *Anticlaudianum*, cujus Autorem esse *Alanum ab Insulis* inter Eruditos constat. Praeterea non optimo Exemplo usum esse supra dictum *Bibliothecarium*, arguunt ea, quae in *Nostro* sequuntur: *Incipit breuis continentia librorum biblie ad euidentiam presentis libelli 7. pagg.* quibus omnium sacrorum Librorum Argumenta rite exponuntur. Nihil de his *Quetifus*, uti nec de altero Prooemio metrico, quod continuo succedit, 20. versuum hoc initio:

Qui memor esse cupit librorum bibliothece
Discat opus presens et retinere uelit. —
Margarita vocor multo quesita labore
Eruta de pelago fulgeo, grata fero. —
Pontifici summo clementi missa beato
Supplico suscipiat, corrigat inde placens.
Felicis pape benedicti (XI) *tempore ieci*
Semina &c.

Ex Distichis his 10. *primum* et *quartum* subjecta reperiuntur antiquis Bibliorum quibusdam Sec. XV. Editionibus, puta Editioni a. 1476. *s. l. f.* Itaque, ad quem Autorem referenda sint, deinceps sciemus. Distichis additi sunt ibi Hexametri tres: *Ecce iesu christe claudo pietate libellum* &c. sed et hos ad *Guidonem* nostrum pertinere, quamvis in Exempli nostri calce desint, *Codex Quetifi* docet, ut habes *T. cit.* p. 575. Porro metricum istud Prooemium excipit Titulus prorsus idem, qui *Codicis Quetif.* et ipsum *Poema*, cujus initium:

Nobile principium celi terre reserantur
Ordine quove deus distinguens cuncta creauit &c.

Constat id Versibus hexametris facile 1500. cumque procedat juxta *Capita* cujusvis Libri Biblici, marginibus adscriptas habet voces analogas ex *Alexandri de Villa Dei* Carminibus μνημονικοις, notis illis: *Sex probibet peccant* &c. Ad calcem legitur: *Explicit liber metricus per totam bibliam. qui margarita dicitur pro sui dignitate. de quo lacius in probemio eius habetur.* Typis Sec. XV. editum in *Bibliotheca Baluz.* fuisse memorant *Echardus* et *Fabricius*, sed vereor, ne illum cum *Petri de Rosenheim Memoriali divinor. Eloquiorum*, aut alia *Margarita* confuderint; vulgaris enim haec olim merx erat, ut *Margarita Decreti*, *Davidica*, *Philosophica*, *Poetica* &c. evincunt, Literatoribus notae.

III.